

in Latinum Opus illud postulant; & suppositi à S. Hieronymi, ad illos responsione qua proficitur, versionem illam suscepisse, & Seleucum [Hæreticum secundi sæculi non obscurum) Authorem esse Operis Græci de Nativitate Mariæ, quod fabellis plurimis anilibusque commentis scateret; se verò alterum ejusdem tituli Evangelium Hebraicum Latinis literis tradere instituisse. Tribuit autem idem Opus S. Mattheo, & quamvis in canone non recensetur, nihil tamen ex illo detrimenti resultare potuisse legentibus sentit.

Postremum hoc Evangelium, quod à S. Hieronymo versum credebatur, facile præ oculis habuerunt Vincentius Bellovacensis [o], & Fulbertus Carnotensis sermone in Nativitate B. Mariæ, cum de nativitate B. Virginis historiolas narrarent. Tandem ex vetustissima recepta traditione, quam Scripta Patrum tum etiam vetustissimi quidam Libri, sed fraude Hæreticorum corrupti servarunt, tenet Ecclesia Latina & Græca nomina Joachim & Annæ, eademque in Officiis suis Ecclesiasticis veluti conservavit. Ex ea traditione ad nos usque pervenit de prodigiosa Nativitate B. V. historia. Ex ea pariter historia conciliandas modò suscipimus inter se genealogias Jesu Christi, apud S. Lucam & S. Matthæum deductas; demonstrantes, S. Matthæum genus illius per Josephum prosequentem, & Davidis familia satum prodidisse; sicut & S. Lucam idem pariter probasse, digestâ Mariæ genealogiâ, quæ ex eodem fonte, per diversos tamen canales, profuxit.

Fatemur quidem, S. Lucam Joachimi nomen non expressisse, sed tantum Heli. Verum ambo hæc nomina idem valent; sunt enim apud Hæbreos synonyma Heli, Helcias, Eliakim, & Joakim. Filius Josiæ Regis Juda Joakim pariter, & Eliakim (p) appellatur; & Summus Sacerdos sub Manasse nuncupatus est Heli, Helcias, & Eliakim, & Joakim [q]. Judæi quoque (r) Beatam Virginem filiam Heli appellant, sicut & Jesum filium Pantheris. Testimonium quoddam Hæcædos Doctoris Judæi laudat Galatinus, qui de Messia ab Antonino Consule quodam Romano interrogatus, respondit, patrem matris Messia binominem futurum; quippe qui appellandus esset Heli, & Joakim. Scimus quidem Judæorum Au-

thores multa blasphemo ore in Jesum, & sanctissimam parentem ipsius evomuisse; nihil tamen inde extenuatur argumentum pro vetustate hujus traditionis, quæ patrem Mariæ Heli sive Joakim constituit.

Nec dissimulanda censeo ea, quæ S. Augustinus ad Faustum Manichæum scribens, reposuit [s] l. 23. c. 9. tradit enim, nomen Patris Mariæ non nisi apocryphorum quorundam Librorum fide constare; & S. Joannem Damascenum de Fide l. 4. c. 15. qui patrem B. Mariæ Joachimum agnoscit: decedentem tamen sine liberis Heli constituit. Fateor ergo quidem, adductam ab ipso genealogiam J. C. qua conciliare nititur Evangelium S. Matthæi cum altero S. Lucæ, cum nostrâ hypothesi non profus convenire. Verum cum series ejus genealogica cum Evangelio ipso, & S. Epiphano (t) non satis congruat, fidei esse sublesta censenda est. Spectantur tamen in ea summæ quædam lineæ vetustissimæ cujusdam traditionis ex Judæis ipsis Jesu Christo adversariis derivatæ, traditionis, inquam, quæ J. Christo patrem tribuit Pantherem. Porro nomen illud in ipso pariter Origene [u] legitur, sicut & in Talmud Babylico tract. Sanhedrin, ac tandem in Vita J. C. sive Toldos Jesu, Opere à Judæis vulgato. Sed hæc vocum, & nominum discrepantia in re vetustissima non est, cur Lectorem moretur; neque eo tandem cogimur, ut quidquid in ea certissimum apparet, atque constantis receptæque traditionis suffragio probatur, abjici pariter debeat & reprobari.

Hæc genealogia J. C. à S. Damasceno deducta (x). Levi genus suum à Davide per Nathanem referens, filios genuit Melchi, & Pantherem; posterior hic edidit Barpantherem, unde prodiit Joachim pater Mariæ.

Nathan filius David per Salomonem, uxorem duxit, à qua genuit Jacob patrem Josephi Mariæ conjugis. Nathan defuncto, Melchi frater Pantheris defuncti Mathani uxorem duxit, unde natus Heli; ut proinde Jacob, & Heli unam, eandemque matrem agnoscerent; quanquam ex illis alter ad Melchi, alter verò ad Nathan pertineret. Deceffit sine liberis Heli, sed ex Jacob, quemadmodum jam insinuavimus, Josephus natus est. Sed melius expansâ tabulâ hæc omnia patebunt.

DAVID

SALOMON

MATHAN

JACOB

JOSEPH

NATHAN

LEVI
PANTHER,
& MELCHI
BARPANTHER
HELI sine liberis
decedens.
JOACHIM
MARIA
JESUS

Es.

o Specul. historiæ. Prolog. c. 9. & l. 7. c. 64.

p 4. Reg. 23. 24.

q Vide nostram Differtationem in successionem summorum Pontificum ad caput Judith. r Talm. Jerosolym. fol. 77. Babyl. tract. Sanhedrin. fol. 67.

s Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex Tribu Levi, Sacerdotem nomine Joachim, quia canonicum non est non me convincit. t Epiphani. hæres. 78.

u Origen. l. 1. contra Celsum p. 25. edit. Cantabr.

x Damascen. l. 4. c. 15. de fide.

Eadem genealogia juxta S Epiphanium [a], Græcis probata.

SALOMON

JACOB, alio nomine PANTHER

JOSEPH, & CHEOPHAS ejus frater (b), pater Mariæ Cleophae (c).

Ex priori conjugio nati sunt illi sex filii, JACOB, JOSE, SIMEON, JUDAS, MARIA, SALOME (d). Duxit deinde idem Joseph Mariam Virginem matrem Jesu, filiam Joachim, & Annæ (e).

Hæc duo nomina Pantheris, & Barpantheris in genealogia J. C. neque laudantur unquam Julius Africanus, ceterique Veteres, neque sine prodita Evangelii fide, in quo nihil tale legitur, laudari potuerunt; nisi si forte illud reputaverimus, nimirum cognomina fuisse duorum virorum, Mathat & Levi; quibus constitutis, omnia in pristinas sedes restituantur.

DAVID

SALOMON

ELEAZAR
MATHAN

JACOB

JOSEPH

Joannes Gerson Parisiensis Universitatis Cancellarius Tom. 2. Operum, carmina quædam laudat in hanc sententiam.

Anna tribus nupsit, Joachim, Cleopha, Salomeque. Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias.

Quas duxere Joseph, Alphans, Zebedæusque. Prima Jesum, Jacobum, Joseph, cum Simone Judam Altera dat. Jacobum dat tertia, datque Joannem.

Verum genealogicum hoc systema nullo authoritatis testimonio fulcitur.

Systema D. Toynardi Harmon. pag. 155.

MATHAT

JOACHIM

MARIA
JESUS

CLEOPHAS

MARIA uxor Alphei.
JACOBUS major

JACOBUS minor, JOSES, JUDAS sive THADÆUS.

a Epiph. Hæres. 78. Vide & Hippol. apud Niceph. l. 2. c. 3.

b Hegesipp. apud Euseb. l. 3. c. 11. Epiphani. hæres. 78. Vide Hieron. adver. Helvid. c. 7.

c Joan. 10. 25. Theophylactus in Matt. 13. 56. tradit, S. Josephum, & Cleopham, sive Clopam fratres fuisse; Cleopham verò sine liberis decessisse, cujus uxorem viduam ducens Josephus, quatuor filios, in Evangelio fratres Domini appellatos, genuisse; sicut & duas filias, nempe Salomem, & Mariam cognomento Cleophae, quod scilicet ad illum juxta Legis sanctionem pertineret.

d Nicephor. lib. 2. c. 11. ex S. Hippolyto geminas S. Josephi filias appellat Esther, & Thamar.

e Epiphani. hæres. 78. & alii.

DIS.